



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

16. Ludouicus Lotharingiae Rex, Suentiboldi frater & in regno successor,
an. 910. dat Mortarium villam Canonicis in Caprimonte (opido olim
dioecesis Leodicensis) degentibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

claras, & ex ordine Abbatissas monasterij Sulsterensis, in ditione Iuliacensi. Anno 900. prope Mosam, à Raginero I. Hannoniæ Comite & alijs victus, in prælio occubuit. Plura vide Codicis don. piarum cap. 20. & in Stemmatibus Principum Belgij cap. 10.

LEVGA pago) *pays de Liege.*

CAPVT XVI.

Ludouicus Lotharingia Rex, Suentiboldi frater & in regno successor, an. 910. dat Mortarium villam Canonicis in Caprimonte (opido olim diœcesis Leodicensis) degentibus.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. **LYDOVICVS** diuina ordinante gratia Rex.

Quoties sanctarum Dei ecclesiarum necessitatibus munimine regalitatis subuenerimus, morem antecessorum nostrorum imitatur: idque nobis ad præsentis æui subsidia, atque ad futura beatitudinis præmia incunctanter adipiscenda, proficere credimus.

Quocirca omnium sanctæ Dei ecclesiæ nostrorumque fidelium, præsentium ac futurorum, prudens agnitio comperiat, quia **HATTO** venerabilis Archiepiscopus, & **GERBERDVS** Celsitudinem nostram adierunt, intimando, qualiter frater noster **SVENTIPLCHVS**, postquã à regni gubernatione proceres regni Lothariensis demiserint, cuidam viro **ROINGO** quandam proprietatem dederit, quam ipse **Roingus** postmodum ad substantiam Canonicorum, in **CAPRIMONTE** loco vocato, degentium, vtcumque delegauerit;

Cumque prænominatus Comes hoc taliter actum perscrutauerit, nostrisque auribus innotuit, humillimeque expetiit cum **Hatton**e præfato Pontifice, vt pro salute animæ nostræ, easdem res prænominatis Canonicis, per nostræ auctoritatis præceptum, confirmaremus.

Hoc quoque ipsorum petitioni libenter acquiescentes, præscriptas res in Comitatu Leuchia sitas, Mortariumque locum vocatum, cum omnibus suis appenditijs, vt hætenus iam dictus **Roingus** eas habere visus fuit, ita deinceps, ad substantiam sæpeditorum Canonicorum, per præsentem nostræ Regalitatæ vigorem concedimus.

ac confirmamus;

Videlicet cum manso indomincato, atque ecclesia, cum alijs duodecim mansis, castitijs, campis, pratis, pascuis, siluis, cultis & incultis, aquis aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, vijs & inuijs, exitibus & redivibus, quæstis & inquirendis, mobilibus & immobilibus, ac mancipijs vtriusque sexus inibi residentibus.

Hoc quoque obnixè statuentes ac sanctientes, vt more ecclesiastico, ab hodierna die, præscripti Canonici ad mensam ipsorum habeant, teneant, possideant, nostrique ob id memores effici delectentur.

Et vt præsens nostræ largitionis & confirmationis præceptum, per succedentia tempora, verius credatur, ac diligentius seruetur, manu propria subter firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum domini **LVDOVICI** serenissimi Regis.

THEODVLPHVS Notarius, ad vicem Rathpodi Archiepiscopi & Cancellarij summi, recognoui.

910. Data V. Idus Nouembris, anno Dominicæ Incarnationis D. CCCC. X. Indictione XIII. anno verò domini Ludouici X.

Actum; in Geleneheim, in Dei nomine feliciter, amen.

NOTATIO.

In Caprimonte, *Chieuremont*, olim fuerunt duo auttria Canoniorum collegia: quorum prædia partim Canonicis B. Mariæ Aquisgranensis, partim Canonicis S. Ioannis in insula Leodicensi sunt attributa; Caprimontensi opido funditus exciso à Notgero Leodicensi Episcopo. Causam excidij inuenies apud Chapeauillium, rerum Leodicensium scriptorem.

CAPVT XVII.

Carolus Simplex Francorum Rex Canonicis ecclesiæ S. Lamberti Leodicensis an. 915. dat forestum seu siluam in Arduenna sitam, Stephano Leodicensi Episcopo, & Raginero I. Hannonia & Hasbania Comite, petentibus.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, **CAROLVS**, diuina propitiante clementia, Rex Francorum.

Si